



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cx [i.e. ii]. Efficiens instrumentalis est, quæ est minoris cum effectu perfectionis, vel si est æqualis, non habet vim connætutrale[m] ad eu[m] producendu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

II. Causa illa efficiens dicitur *principalis*, quæ est æqualis aut majoris perfectionis cum effectu, & dicit ad illum proportionem. Illa est *instrumentalis*, quæ est minoris cum effectu perfectionis, vel si est æqualis, non habet proportionem, id est, vim connaturalem, ad illum producendum, & hinc subordinatur alteri, nimirum causæ *principali*, à qua confortatur & elevatur per concursum altioris ordinis, & cuius intuitu illi præbetur concursus causæ primæ, si subordinetur causæ *principali* creatæ ; qualiter phantasma utpote materiale, adeoq; ignobilius & improportionatum ad producendas species impressas intelligibiles spirituales, ad hoc eget concursu altioris ordinis, nempe com principii spiritualis (quale est intellectus) à quo elevetur ; qualiter non elevatur equus se solo insufficiens trahere currum , dum illi adjungitur equus aliis, cùm hic concursus non sit altioris ordinis , & qualiter vice versa non elevatur causa *principalis* ab *instrumentali*, et si & hac egeat ; non enim eget ejus concursu ad producendum effectum se perfectiorem aut improportionatum sibi, neq; ita eget, ut detur ei intuitu causæ *instrumentalis* concursus Dei.

Hinc

Hinc patet causam malè ideo dici instrumentalem, quia non attingit sua actione effectum, sed producit quid prævium, ad cuius productionem resultat productio effectus. Item quia illi nullum correspondet prædicatum in effectu (foret enim Angelus elevatus à Deo ad creandum alium Angelum omnino sibi similem, adhuc causa instrumentalis, etsi ei omnia prædicata in effectu respondeant.) Item quia movetur priùs à causa principalis, quomodo enim phantasma movetur priùs ab intellectu ?

III. Instrumentum aliud est naturale, quod à natura subordinatur alteri causæ , ut cum ea producat effectum se perfectiorem tale V.G. est phantasina. Aliud artificiale, quod ab extrinseco, nempe ab artifice, ordinatur & assumitur ad effectum, ad quem ex se est improprioportionatum (quamvis hæc in rigore non sint instrumenta, cùm ex se activa non sint , sed tantum recipiendo in se impetum, unum cum alio conjungant, aut unum ab altero dividant; adeoque hæc divisio sit analogi in sua analogata.) Aliud obedientiale , quod assumitur à Deo ad effectum aliquem supernaturalem quò ad entitatem, vel

quò